



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Observatio somniorum diuersis respectibus est illicita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

vel secundum morem approbatum à viris probis.

Peccatum Sodomiticum grauissimum.

Sodomia, qua contra naturam venerea exercetur (vel dum commiscentur personæ eiusdem sexus) puta mares inter se, aut mulieres inter se, vel dicitur commiscentur mas & mulier, sed non in loco naturali, aut consummando innaturaliter, peccatum grauissimum est.

Observatio somniorum diuersis respectibus est illicita.

Somniorum observatio quadruplici peccato explicite, & quinto periculo afficitur. Prima duo peccata sunt in opinione dum somnium vel temerè attribuitur alicui certæ causæ, puta celo: quia quum possit à multis causis provenire, temerarii erroris est vnam determinatè inferre. Vel temerè determinatur ad futurum vnum aliquid significandum: ex eo enim quod nascitur causa somnii, incertum oportet restare an somnium illud futurum significet: quoniam ex causa pendet significatio, & nullum videretur somnium procedens ex certa causa quod non possit ab alia causa provenire: & propterea semper temerarium inuenitur iudicium si vt certum fiat. Vtrunque autem peccatum veniale est: vtpote iudicium temerarium de re singulari in nullius damnum. Tertium peccatum est in usu, quum quis propter somnia committit vel omittit contra necessitatem ad salutem: & hoc est peccatum mortale, vt patet. Quartum peccatum in usu quoque est, quum quis tantam fidem dat somniis vt propterea omittat vel committat contra aliquid ad quod tenetur, quamuis non sit de necessitate salutis illud: & hoc est peccatum veniale, quia non contra, sed præter charitatem, & erratur in intellectu, & peccatur in effectu. Periculum autem quod imminet

omnibus

omnibus his, & præcipuè secundo, & tertio, & quarto, est cadere in crimen superstitionis diuinatoriæ per somnia, quoniam vanis ac incertis opinionibus seu coniecturis vtens quasi certis ad cognoscendum vel operandum, aut omittendum circa futura contingentia, meretur vt diabolica illusio se immisceat, ac de vanis fiant perniciofa, & sic in tacitam dæmonum societatem incidatur, dum paulatim tantum homo credit somniis, vt somniis vtatur pro regulis suarum actionum: aut incidat in scelera quæ diximus de obseruatione astrorum.

Sors damnorum societati innixa semper damnabilis est.

Sors triplex quum sit (diuinatoria, consultoria, & diuinatoria) tertia damnata est, vt pote dæmonum societati innixa: & propterea peccatum est mortale ex suo genere. Secunda autem qua consulimus quid agendum sit, tot exigit condiciones ad sui rectitudinẽ, vt raro sit licita. Exigit siquidem primo articulum necessitatis, ne tentetur Deus ubi opera humana potest prouideri. Secundo, reuerentiam, ne irreuerenter consulatur Deus. Tertio, proportionatum modum scilicet diuina oracula aut sanctorum reliquiarum ad secularia negotia conuertantur: quod Augustinus reprehendit. Quarto debitam materiam ne pro electionibus spiritalibus hoc fiat. Prima verò qua determinatur quod ab hoc vel illo habendum sit boni, aut patiendum mali in temporalibus bonis & malis illicita inuenitur dupliciter. Primo, si imprudenter fit, omnis enim humanus actus prudenti circumspectione, cautela rationeque formandus est. Secundo, si cum periculo communis boni, aut iustitiæ fit: vt si forte regiminis officia fiant admissis ad sortes tam idoneis quam ineptis. Et hoc enim periclitatur respublica, vt

patet.